



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Chronologia Monasteriorum Germaniæ Præcipuorum Ac Maxime Illustrium

Brusch, Kaspar

Nürnberg, 1682

S. Claræ monasterium in urbe Curiana apud Voitlandos, ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-38166

22. *Joannes*, Piscatoris Mimmenshusani filius, vir doctus piusq; fratrum amator, eligitur anno Christi 1534. circa festum visitationis Marianæ, sub Paulo III. Pont. Max. Divo Carolo V. Imperatore, Episcopo vero Joanne de Lupffen. Præfuit annis 9. Obiit anno salutis 1543. quarta Novembr.

23. *Joannes Appenzeller*, è Constantia genitus, eligitur anno 1543. circa festum Martini, sub Paulo III. Papa, Carolo V. Imp. Joanne Archiepiscopo Lundenfi. Præest adhuc hoc currente Jubileo podagricus. Ædificavit anno 1548. præclaram domum, quæ omnium eorum habitatio esse debet, qui mechanicas artes in eo cœnobio exercent. Fecit anno eodem aliud etiam vas stupendæ & admirandæ magnitudinis, ad similitudinem prioris *Paricis*, quadraginta vini plaustrorum capax, quod in longitudine 25. pedes habet.

Cadus stupendæ magnitudinis.

In hujus cœnobii vicinia est sancti Montis castrum ejusdem nominis Comitum, quos alio nomine Fürstenbergenses vocant. Dicitur Mons Sanctus à S. Felice & S. Regula illic sepultis. Ad radices ferè ejus Montis situm est *Bechium* monasterium Franciscanarum monialium, quod cœpit annum circiter 1412. ex piorum hominum eleemosynis, & fororcularum illic habitantium laboribus sustentatur. Postea liberaliter donatum est à parrocho quodam Hasenwilensi, Joanne Sutore, Sulgoviano, qui suis sumptibus construxit pro monialibus habitationem paulo ampliolem & firmiorem. Comites Sancti Montis sunt tutores & benefactores maximi ejus loci monialium.

Mons Sanctus. Bechium Cœnobium.

CLARÆ monasterium in urbe Curiana apud Voitlandos, arci omnino contiguum, monialium & tantum nobilium puellarum æternæ castitati devotarum insigne ac opulentum collegium, in quo mihi puero olim oculos dolenti collyria divina gratia feliciter adhibuit nobilis & admodum religiosa monialis, *Domina Brigitta Rorerin*: id, inquam, fundatum est anno Christi 1348. à *Domina Gertrude*, nobili foemina de *Huttenhofen*, quæ ejusdem sui cœnobii prima legitur designata Abbatisa. Habuit ea ipsa ex marito, *Barone Widenfi*, filium *Henricum*, Comitem

tem Widensem. Is coelibus vitae studiosus & religionis imprimis amans, in Dei gloriam ac sui suorūq; memoriam in hoc seculo etsi non sempiternam, tamen maxime diuturnam, huius ipsi monialium cenobio contiguum fecit & extrui curavit Franciscanum instituti monachorum elegans sane & amplum monasterium, in quo filium suum Henricum convocatorum monachorum gubernatorem, seu, ut vulgo vocant, Guardianum primum constituit ipse. Id nunc S. P. Q. Curienfis in laudabilem ac honestissimam scholam, verissimum virtutis & honestae disciplinae domicilium commutavit, cui praestit hac aetate *M. Joan. Streitbergerus* Curio, vir eximie doctus & ab incunabulis fere Thefeus mihi ex animo charissimus. Abbatissarum S. Clarae talis habetur catalogus.

Franciscanum monasterium Curienfe. Schola Curiana.

Series Abbatissarum.

1. *Gertrudis* ab Huttenhofen, cujus soror *Domina Thela*, & huius filia *Catharina* confundatrices fuisse leguntur.
2. *Agnes*, Comitissa de Orlemund, cujus parentes *Xenodochii* Curienfis, ejus nimirum, quod ad Salam situm est, fuerunt magnificentissimi fundatores.
3. *Anna*, Comitissa de Orlemunde.
4. *Helena*, Comitissa de Orlemund, cujus parentes & majores magni fuerunt ejusdem cenobii benefactores. Horum unus *Sigismundus* in vicino Franciscanorum cenobio humatus obiit anno 1447. Prope quem cernitur etiam sepulchrum *Joannis*, Ducis ejusdam *Megalopyrgii*, quem saxum loquitur decessisse ex hac vita anno 1474.
5. *Catharina*, Burggravia Norica, *Friderici IV.* filia. Habuit sororem *Annam*, Abbatissam in Coeli corona.
6. *Agnes*, Catharinae Burggraviae germana soror, praesuit annum Christi circiter 1376. quo anno cenobium multis libertatibus & bonis praediis donatum est a *Friderico Burggravio*, huius Abbatissae parente.
7. *Catharina à Kotzau* diutissime & felicissime praesuit, maxima cenobii sui benefactrix ac illustratrix.
8. *Margareta*, Marchionissa Brandenburgensis, *Alberti* cognomento *Achillis Germanici* filia, praesuit anno 1486.
9. *Agnes ab Hirsberg.* 10. *Ursula à Dobneck.*

Handwritten notes in red ink on the right side of the page, including the word 'Chronologia' and other illegible characters.



11. *Veronica à Dela*, Domina valde religiosa & honesta, quæ obiit anno 1549.

12. *Emilia à Wirberg*, & honestissima & prudentissima Domina, eligitur anno Domini 1549. Præsidet hoc adhuc currente anno Domini 1551.

S. Claren.

S. CLARÆ monialium cœnobium Noribergense, omnium (quæ urbs illa monasteria intra mœnia sua habet) spaciofissimum & amplissimum, cœpit anno Domini 1278. sub Comitibus à Rudolfo Imperatore Noribergæ celebratis. Translatis enim in urbem pœnitentibus sororibus, quæ foris prius ad nemus Noribergense in Divæ Mariæ Magdalænæ perveteri sacello, quod antiqua monumenta anno Domini 1092. ante urbis sub Henricis vastationem conditum & à religioso Noribergensi populo admodum frequentatum esse testantur, à Gregorii IX. temporibus usque ad Gregorii X. ætatem sub Divi Augustini regula militabant, damnatis tunc in Lugdunensi Synodo quorundam sectis, sorores etiam istæ, abjecta pœnitentium S. Augustini damnata professione, S. Claræ ordini publice approbato sese dedunt ac incorporari faciunt anno 1274. Post hanc incorporationem anno 4. facta est translatio & secessio è nemore in urbem, quo tempore plurimum auctus dicitur conventus S. Claræ. Nam inter multas alias bono loco natas puellas & fœminas venit in eandem congregationem sub Comitibus nobilis Domina Guta, Illustris Domini Eberhardi ab Heertingsberg Equitis aurati conjux, cum tribus filiabus, Guta, Leutgarde & Agnete, quarum Pater Eberhardus arcem suam Bergensem unâ cum toto Monte (qui milliare à Noriberga abest & nostra ætate frumenti feracissimus à quibusdam *Hertonis Mons*, ab aliis vetustus *Mons* appellari solet) dabat ad exædificationem hujus cœnobii, quod aliis etiam annis proventibus præclare auxit, quemadmodum etiam Franciscanorum monasterium (cujus ipse cœnobita fuisse legitur) amplissime dotavit. His ipsius temporibus erant duo honesti Cives Noribergenses, germani fratres, Fridericus ac Eberhardus Ebneri, qui ingressi Franciscanum cœnobium ibi monasticen

Der Alte
berg.

Ebneri
Patricii.